



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia I. De Æra Vulgari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)



CONTROVERSIA I.

D E

Æra Vulgari.

ÆRa, vel Era, est annotum numerandorum computatio, seu, ut in Fasciculo temporum legitur, tempus famosum alicujus gentis vel Sectæ, incipiens ab aliquo effectu notabili bonitatis vel malitiæ. Apud Hebræos varia extitit Æra: scilicet ab Orbe condito, à Diluvio, ab Exodo, ab ædificatione Templi, à Cyro, & soluta captivitate, ab instauratione secundi Templi. Aliquando etiam computabatur per Jubilæos, quorum quilibet 50. annos continebat; aliquando per annos exteriorum Principum, sicut tempore Machabæorum. Varia quoque fuit Æra apud Græcos; per Olympiades, seu spatium quatuor annorum, quod erat inter duos Ludos olympicos (sic dictos ab urbe Pisa seu Olympia in Pisatide Peleponnensi regione) olim ab Hercule institutos; post 442. annorum curriculum per Iphetum restitutos; ac propterea quod intermissi fuissent, ideo dicuntur ante Urbem conditam annis 23. inchoati. Hæc Æra putatur durasse usque ad annum 312. aut sequentem, à Christi Nativitate computando, quando, iisdem ludis abrogatis, Indictiones surrogatæ dicuntur.

Varia demum fuit apud Romanos Æra, seu temporis computandi ratio. A Palilibus, seu Parilibus festis. Pali Deæ, seu, ut Varro mavult, Deo dicatis, quæ in agris à Pastoribus quotannis celebrabantur undecimo Kal. Maji, quo die Romulus Urbem fundaverat, juxta illud Propertii *Lib. 4.*

*Urbi festus erat, dixere Palilia Patres.
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.*

Atque hæc etiam est celebris illa Romanorum Æra ab Urbe condita. Postmodum etiam computata fuerunt tempora à Regifugio, per Consules, per annos Imperatorum, quando etiam alii regnorum incolæ, seu Respublicæ, juxta suorum Regum aut Principum annos tempora distinxerunt. Hæc sunt Epochæ, seu celebriores priorum temporum periodi, annorum termini, capita & prima computandi principia, ad quæ Chronologi rerum gestarum à se descriptarum Chronotaxin suam constituunt.

Cardinalis Baronius tum in Annalibus, tum in notis ad Martyrologium Romanum de Æra fusè non minus, quam eruditè disserens, supponit, nonnulli unicam Æram fuisse, eamque in Hispania, vultque in illo re-

A gno

gno tali numeri notâ martyrum acta, concilia sacra, tum res profanas signari consuevissent. Quod quidem à vero minus alienum videtur, si nomen ipsum spectetur, de cuius etymo Authores multum discrepant. Nonius & Lucilius affirmant, numeri notam esse dictam *Eram*. Hoc modo usurpari à Scriptoribus mediæ ævi, observat Clarissimus Carolus du Fresne in suo Glossario. Nam veteres *Era* vocabant in rationibus, quæ vulgaris hodiernum *Item* vocat. Sic Rufus Festus in Breviario rerum gestarum Pop. Rom. scribit. *Morem securus Calculorum, qui ingentes summas aris brevioribus exprimunt. &c. &c.* Unde verò ad temporis computum fuerit hoc nomen Hispanis duntaxat familiare, in comperto non est. Sepulveda, notissimus Scriptor Hispanus, autumat, quod id ipsum nomen à suis inventum fuerit & usurpatum, qui temporum computationes ab anno 16^{to} Augusti Cæsaris (ad hunc Dominium Hispanorum tunc delatum fuit, ejusque imperium Hispanis fortunatum extitit) ordiri solebant. Itaque rerum gestarum annos deinceps in hunc modum annotabant: *Annus erat Augusti XX. XII. XIII. &c.* Deinde, brevitate causâ, à notariis aliisque Scriptoribus initia duntaxat verborum illorum scribebantur; sed punctis distincta. A. ER. A. Paulatim transcriptorum oscitantia, demptis punctis, ita scriptum fuit. *Aera*, sicque *Era* in unam dictionem conflata fuit. In hujus rei relatione mirum sibi quidam complacent. Ast eruditioribus displicet; esseque figmentum vel ex eo evincitur, quod post exordium *Ere* Hispanicæ, & illius nominis usurpationem Octaviano prius *Augusti* nomen à senatu fuerit tributum.

Non improbat quidem supra memoratus Cardinalis opinionem Isidori *Lib. 5. etymol.* quod sit *Era* dicta, quia omnis orbis æs reddere professus est Reipublicæ: sed minimè aridet, quod præmiserat. *Era singulorum annorum constituta est à Cesare Augusto, quando*

post primum censum exagitatum Romanum Orbem descripsit? Siquidem orbis descriptio prima Augusti facta fuit annis viginti ante Christi Nativitatem, ut Tirinus observat ex Suetonio, Josepho, aliisque in *Chron. cap. 44.* prima Cyrini Syriæ Præsidis, anno, quo Christus natus, teste Lucâ *cap. 2.* *Era* verò incæpit annis 38. ante Christi Nativitatem, ut communis fert opinio.

Qua autem ratione illo ipso anno sit *Ere* numerus inventus, & constitutus, non est omnium idem sensus. Multis placet illa, post aliorum rejectas opiniones, finalis Baronii conclusio, quod *Ere* occasionem præbuerit magnificentissima æris collatio ab Hispanis Augusto, qui per Domitium Calvinum Cerretanos, inibi rebellantes, domuerat, facta; quæ ad triumphum expensas non tantum sufficiens fuerit: sed etiam ad Urbis palatium ex integro restituendum. Videtur nihilominus præferenda plurium eruditorum sententia, quod *Ere* occasionem tribuerit certum aliquod æs, seu tributum, quod Augustus Imperator Hispanis imposuit, atque Terraconæ publicè exactum fuit, annis, ut dictum, 38. ante nostræ salutis exordium.

His de *Ere* nomine, definitione & etymologiâ non incongruè præmissis, agendum demum de *Era* Christiana seu computu temporis, qui suum initium sumit à Christi Domini Nativitate, quem quidem omnium primus inivit Dionysius Abbas, ob staturæ pusillitatem cognomento *Exiguus*, natione Schyta: sed doctrinâ rerumque peritiâ illo tempore celebratissimus: quando anno Domini 532. Romæ Cyclum Paschalem renovando, à Christi Nativitate inchoavit: sicque *Eram*, & Incarnationis tempus, confundendo tempora, deduxit. Cujus quidem instituendæ *Ere* ratio hæc fuit, quod iniquum puraret, Christianos uti *Era* Diocletiani, quem hic Imperator, effuso Martyrum sanguine copioso, observari voluit, quæ-

queque olim *Era Martyrum* dicta fuit. Proinde idem Dionysius in epist. ad Petronium Episcopum sic scribit: *Quia verò sanctus Cyrillus primum cyclum ab anno Diocletiani 153. cepit, & ultimum in annum 247. terminavit, nos ab anno 248. ejusdem Tyranni potius quàm Principis inchoantes, nolumus circulis nostris memoriam impii & persecutoris innectere: sed magis elegimus ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi annorum tempora prenotare: quatenus exordium spei nostra notius nobis existeret, & causa reparationis humana, id est passio Redemptoris nostri evidentius praluceret.* Hæc Dionysius. Ut ad eò mirum sit, Antonium Pagium contendisse, *Eram* hanc non à Dionysio: sed à quodam Pandoro, Monacho Ægyptio, institutam: quod quidem liquere scribit: sed unde liqueat, siluit. Certè Dionysio, quotquot de *Era* vulgari scripserunt, hanc attribuunt, passimque vocatur Dionysiana: quamvis Dionysii *Era* cum vulgari non exactè conveniat, eò quòd hæc à Kal. Januarii illa verò ab Incarnatione Domini 25. Martii computetur. Quo communi consensu introductum, ut primus Christi annus non à Juliano 45^{to}: sed à sequenti duceret exordium: atque sic factum, ut *era* vulgari invaluerit uno anno inferior illà Dionysii.

Receperat quidem, licet non statim & constanter, hanc Dionysii *Eram* orbis Christianus; damnataque fuit *Era* Diocletiani, quam *Eram Martyrum*, ut supra dictum, Ecclesiæ gloriosam rectius orthodoxi appellaverant. Fuit nihilominus aliquo tempore intermissa Christi *Era*: donec ab omnibus propemodum Nationibus, ad veram fidem conversis, reassumpta fuisset ferius aut citius, dictaque *Era vulgaris*. Hanc non à Dionysio: sed à Beda propagatam vult Petavius de *Doct. Temp. lib. 12. cap. 2.* Eandem, à S. Bonifacio Episcopo & Martyre in Galliam & Germaniam introductam, Carolus

Magnus familiarem habuit, atque ejus in Imperio æquè ac Regno successores usurparunt. Perstitit interim *Era* Hispanica in illo Regno generaliter usque ad annum Christi 1351. Deinceps fuit Christiana sensim introducta. In Lusitania prius circa annum Domini 1415, Aragonia 1348, Castilia 1383 universaliter admissa fuit. Constat tamen, quòd in regno Hispaniarum longè ab ante juxta *eram* Christianam computatum fuerit. Et quidem in Archi-Episcopatu Terraconensi à Berengario istic Præsule, ex Concilii ibi celebrati decreto, anno 1180. *Era* Christiana instituta fuit. Jam sæculo sexto sic annos computatos fuisse patet ex Juliani Tole-tani *Lib. 3. contra Judæos* sic scribentis. *Jam verò residuus annorum numerus à tempore Nativitatis Christi usque in præsens in promptu est, unicuique est & scire, si velit, & supputare, si placeat: assumptis scilicet annis secundum *eram* ab ipsa Domini Incarnatione, *Era* enim inventa est ante 38. annos, quàm Christus nasceretur. Nunc, cum acclamatur *Era* esse 624, detractis igitur annis 38, ex quo *Era* inventa est, usque ad Nativitatem Christi, residuum sunt 586. anni.* Deinde ex Venerabili Beda habemus de *Ratione Temp. cap. 45.* Romanam Ecclesiam anno Incarnationis 701. scripsisse in cereis Paschilibus annos à Passione Domini nostri Jesu Christi; fratresque suos, tunc Romæ existentes, ita scripsisse. Solemnè quippe fuit antiquis Scriptoribus calculos annorum supputare à Christi Passione seu Resurrectione, sicut jam tempora à Christi Nativitate recensentur.

In præsentiarum itaque controversitur, an *Era* illa vulgaris sit exacta & accurata; sic, ut nec pauciores, nec plures anni sint constituendi à Christi Nativitate quàm vulgò numerentur? Pauciores qui constituat, vix reperitur. Non desunt tamen viri in republica litteraria famosi, atque emunctæ naris Critici, qui volunt computum juxta *Eram*

vulgarem esse defectuosum. Sic Tostatus, Labbeus, & alii quidam apud Tirinum in *Chron.* unius anni. Baronius, Estius, Aringius Cointius, Brovverus, duorum; Deckerus, Petavius, Seneschallus, Bucherius, Eminentissimus Norisius, Tirinus, Capellus, Henschenius, Pagius, Paulus Perzonius, Schelstrate &c. trium, quatuor, quinque, imo sex, ut Kepplerus, annorum constituunt prochronismum: voluntque Christum tot annis ante Epocham, quâ nunc utimur, fuisse natum.

Eorum, qui Natales Christi uno anno anticipant, præcipuum est fundamentum, quod anno Augusti Imperatoris 45. Coss: Cornelio Lentulo, & Calpurnio Piso descriptus sit universus Orbis, quemadmodum Sanctus Prosper his tradit verbis expressis: *Quadragesimo quinto Imperii Augusti anno Quirinus, ex Consilio Senatus ad Judæam missus, census hominum possessionesque describit. Eodem anno Jesus Christus Filius Dei in Bethlehem Judæ nascitur.* Pro hoc anno etiam citatur Apollinaris Junior, Episcopus Laodicensis, &c. ut putatur, ipsemet Dionysius *Oligos* seu *Exiguus* sic Æram suam instituit.

Qui biennium Æræ vulgari adjiciendum putant, alium ineunt calculum in fastis Consularibus. Probant insuper suam opinionem ex eo, quod Christus Dominus sit natus anno 746. Ab Epochâ Nabonassaris, qui annus Æram vulgarem biennio præcedit. Alii moluntur eruere ex periodo Juliana, voluntque, quod anno 43. à Correctione Calendarii, per Julium Cæsarem facta, Christus Dominus natus sit Augusto Cæsare XIII. & Marco Plautio Sylvano Coss: quo etiam anno Imperatoris Christi Nativitas in Chronico Eusebii statuitur. Ita quoque sentiunt antiquissimi Scriptores Victor Tunnenfis, Gregorius Turon: Ado Viennens. habentque in oratione de inventione sanctæ Crucis, ab Alexandro Monacho dicta, ac

Latinè reddita à Grefero anno 1616. Alii conantur illudiptum demonstrare ex computu ludorum Olympiacorum, ex Chronologia Urbis conditæ, alii ex Cyclis Lunatibus; alii ex astronomicis declarationibus id posse evinci autumant. Ex ipso etiam Evangelio biennii defectum in calculo Dionysiano observat Sigebertus Gemblacensis, qui ait, *Æræ illius conditorem verecundiâ confusum, frontem sibi pudoris cauterio exussisse.* Hinc Marianus Scotus in suo Chronico computat tempora, tum ab annis Christi secundum Dionysium; tum secundum Evangelium. Quod idem observavit Urbanus II. P. M. qui rescripto ad Abbatem S. Michaëlis illiusque cœnobii regulares ad Mosam situati, inseruit hanc clausulam: *Data Laterani VII. Kal. April. ab Incarnatione Domini secundum Dionysium millesimo nonagesimo octavo, secundum veritatem Evangelii probationem, millesimo centesimo.*

Qui annis tribus Dionysii epilogismum extendunt, in hoc se fundant, quod ex vetustissimis Scriptoribus Tertulliano, Severo Sulpitio, Augustino, Victore Aquitano, Idatio &c. pro comperto habeatur Jesum Christum passum esse Coss: Rubellio Gemino, & Fusio Gemino. Quandoquidem verò hi anno Æræ vulgari trigesimo consularum gesserint, & Christus Dominus 33. annis vixerit, necesse est, ut dicatur tribus annis ante Æram vulgarem natus: & sic verificabitur, quod anno Imperii Augusti 41, ut Tertullianus quoque advertit, Coss: Sabino & Rufino, juxta Severum Sulpitium, natus fuerit.

Qui Æram vulgarem quatuor annis completis, aut quinque incompletis deficere arbitrantur, hinc rationibus ducuntur. Quod Christus Jesus dicatur natus in diebus Herodis Regis, qui secundum Josephum, Dionem Cassium, Appianum &c. Anno Juliano 43. consequenter ante Æram vulgarem 4. aut 5. Coss: Cn: Cornelio Lentulo, ac M. Valerio

lerio Messalino, extinctus est. Nemine Veterum, ut Sigonius tradit, eum posthac superstitem memorante; sed Archelaum filium successorem omnes observant. Hinc manifestum fieri volunt ante Christi Domini natalis referendum esse; Et, quoniam Josephus perhibet *Lib. 17. cap. 8.* quod Herodes ante festum Paschale in ultima sua infirmitate jussit aliquos Judæos seditiosos comburi; deinde nocte obitus sui eclypsin Lunæ contigisse post Keplerum Petavius demonstrat, quam non potuisse contingere, nisi triennio jam completo ante Æram vulgarem, scilicet 13. Martii ante Solis ortum, arbitrantur, necessarium dici debere, quod Christus quadriennio ante fuerit natus. Præterea, quia Sanctus Matthæus narrat Herodem jussisse pueros occidi à bimatu, censeari debet Christus natus biennio ante Herodis mortem, indeque computantur quatuor, quinque aut sex anni, quos Dionysius non observavit.

Vulgarem Æram esse exactam & rectam; sic, ut nec plures, nec pauciores sint à Christi Salvatoris Nativitate computandi, quam nunc communissimè computantur anni, censent Authores antiquitatis notitiâ præcellentes, & in veterum monumentis apprimè exculti Venerabilis Beda, Petrus de Alliaco, Campanus, Bachon, Alexander Scultetus, Azorius, Bellarminus, Henricus Harvillæus Capucinus &c. Eam sententiam propugnat Paulus Middelburgensis Episcopus Forsempronienensis, & recentissimè pariter & validissimè tuentur Possévinus, Jo. Hardinius & Grandamicus, his potissimum argumentis.

I. Universalis, antiquissima & uniformis Ecclesiæ traditio, sensus, consensus, & usus generalis hunc tempora computandi intertenuit modum, semperque tulit; atque Christum Redemptorem ante tot annos natum perhibet in Martyrologiis & Breviariis Romanis, Diplomatum, Conciliis, Neque

ullus inventus præcedentibus retro sæculis, qui hanc supputationem in dubium revocaverit, præter nonnullos perpauca Neotericos. Isaac Lingonenis Episcopus refert Zachariam Papam certa quædam confirmasse capitula sub annum Incarnationis Dominicæ 742. & Acta Concilii Ravennatenis sub Joanne VIII. P. M. ex Chartophylacio Ecclesiæ Eduensis desumpta habent hoc exordium? *Anno Dominicæ Incarnationis 877. Indictione 10^{ma} Nos Episcopi Ravenna &c.* quæ computandi ratio omnino vulgata Æræ correspondet. Idem ex centenariis aliis monumentis ad hæc usque tempora ostendi posset. Fatetur quidem experientissimus Mabillonius, Ord. S. Benedicti in Gallia Congregat. S. Mauri, nullum se legisse Pontificum Diploma indubitatum, annis Incarnationis præditum, quod intra antiqua meretur recenseari; constat tamen, quod hæc Æra juxta computum Dionysianum in Regiis Diplomatum primorum sæculorum Christianorum observata fuerit; etsi necdum ubique & ab omnibus in usum recepta fuisset. Item in litteris foundationum & Episcoporum subscribentium frequenter, etiam temporibus Dagoberti I, adhibita legitur, ut Jacobus Malenius Soc. Jesu adductis plurimis exemplis probat. Sæculo VIII. Beda Epilogismum Dionysianum, quem ab eo corruptum perpetam aliqui præterdunt, assumpsit, ac communioem reddidit. S. Bonifacius, ut dictum, in Galliam & Germaniam invexit. Sæculo undecimo Julius Africanus Scriptor celeberrimus, quo nullus è tota Ecclesiastica antiquitate, in rebus Chronologicis (hanc quippe artem sedulo, diu, & ex professo tractaverat) peritior atque accuratior haberi potest, juxta Æram vulgarem temporum rationes concinnè subduxit. Idem plures alii subsequentes Chronologi celeberrimi sectati sunt. Atqui, ut Symmachus inquit. *Æquum est, quidquid omnes colunt, verum putari. Lib. 10. Epist. 54.*

II. Quotquot aliam à vulgari modo computandi incunt rationem temporum, plurimas & inextricabiles coguntur subire difficultates, neque sibi ipsis satisfacere valent. Et si ab ipsis Authoribus adversantibus quæreretur, scribit Harvillæus in *Isag. Chronol. Lib. 1. §. 115*, undenam habeant numerum istum, aut illius Æræ, cui addendum volunt unum, duos, tres, quatuor aut plures annos, nonne responderent, eum se habere tantum à traditione Christiana. Quod si recipiendam illam censent, quoad numerum adeò gravem; cur non eandem recipiunt, quoad numerum adeò levem? Quamdiu autem argumenta in contrarium non adferuntur, quæ Æram vulgarem manifesti erroris convincant, atque è sua possessione diuturna exturbent, iustum est, ut cæteris quibuscunque opiniunculis præferatur. At Doctissimus Petavius *loc. cit. cap. 4.* ostendit vehementes illos communis Æræ reprehensores, nihilò certiora proferre, quam ejusdem defensores. Eti forè in via hac reperiuntur obstacula; minora certè sunt, quam illa, quæ in devîis, obscuris & talebrosis multoties occurrunt. Proinde tutius in trita, regia & communi via hac procedere licebit: præsertim cum Authores aliter sentientes, neque invicem, neque unus idemque cum semetipso consentiant; quemadmodum clarè liquet ex iis, quæ de incertitudine aliarum Epocharum, multis contradictionibus subjectarum, referuntur: adeòque illa, quæ hinc deducuntur, certa & incontestata esse nequeunt. Præclarè hanc in rem Isidorus Pelusiota *Lib. 2. epist. 97.* scribit. *Illud fortasse ignoras, id quod dubitationem habet, alia dubitatione minimè dissolvi: verum nos ab iis rebus, qua in confesso sunt, controversarum solutionem quarere solere?* Incompertum est Æram Dionysianam, seu nunc vulgarem, ad quam tota Europa suum dicitur calculum, ullam contradictionem fuisse passam, donec rem novam aggressus Sigebertus Monachus

Gemblacensis Æram veterem omnibus nervis impugnare cœpit, quasi hæc viginti uno anno iustò brevior esset, ab omnibus tamen retrò Scriptoribus explorus, quod Terentianæ parænelis *Ne quid nimis*, rationem non habuerit. Dicamque inscribunt Mariano Scotò, Matthæo Paris, Gervasio Dorobernensi, & si qui sunt alii, qui in Sigiberti ire sententiam ausi fuerunt, à vero profus alienam. Videndum nunc, an & quæ cæteris insit major probabilitas.

Sub quorum consulatu Christus natus sit, maxima est historicorum discrepantia. Severus Sulpitius, ut antea insinuatum, memorat id factum Salino & Rufino, quos binominos arbitrantur aliqui fuisse. Primum quidem, ajunt, Calvisium, Pescennium alterum nuucupatum, qui anno U. C. 750. ut Dio testatur, consulatum gessere. Onuphrius cum quibusdam ad Consulatum Cæsaris Octaviani, quem cum Marco Plautio Sylvano gessit, alii ad Lentuli & Cal. Pisonis rejiciunt. Schelstrate D. Lælio Balbo & C. Antistio Vero Christum natum præterdit. Cassiodorus, Mars. Scotus, Cuspinianus volunt hoc contigisse Lentulo & Massula Coss. Et quid hinc certi de Æra Christi, aliis adhuc aliter sentientibus, statui poterit? sed & ipsa series Consulatum Romanorum est confusa, hiulca, præpostera & contorta, quam diversi Fasti exhibent. Exemplum sit, quod Dion Cassius *Lib. 48.* Navium Sertorium præfectum à Tiberio Imperatore missum scribat, ut Sejanum perderet, arcana mandata communicasse cum Memmio Regulo, tunc Consule, liquidem collega ejus tunc Sejano favebat. Hunc Memmium, qui in Fastis Consulatus reperire satagit, Hylam inclamat, quando totis 30. annis nec retrò nec post in iisdem id nomen extat. Illo autem Anno, quo Tiberius in ordinem Senatorium sævit, Onuphrius locat Vitellium Consulem. Pro hoc Tacitus, & ipse Dio ponunt Scribonium, ex Suetonio alii Aruntium. Quod si dica-

dicatur, Memnium Regulum aut Binonimium fuisse, aut Consulē extraordinarium, id est, alteri decedenti suffectum: nisi hoc ipsum, & insuper, cui suffectus fuerit, congruo, vetustoque probetur testimonio, dubia manebat Fastorum Consulatum autoritas; & consequenter ipsa Chronotaxis, quæ his, veluti basi, innititur, quæque respectu Christi Domini nati tantò magis vacillabit, quantò minùs compertum habetur, quo præcisè anno regimen Consulare suum in Junio Junius Bnetus assumpsit; quod in vetustioribus minimè reperitur Scriptoribus annotatum. Accedit, quòd in hac numerandi ratione atque Æræ applicatione minus bene anni conveniant propter extemorum diversitatem. Hinc proum est iudicare, quàm facile sit labi in hiscè obscuris, incertis, fragosisque viis. Experientia idiptum docuit eruditissimum Annalium conditorem Cardinalem Baronium, cùm censeret, nequaquam ex Æræ vulgari Consules: sed à contrario ex Consulibus, tanquam viâ regiã ad notitiam Æræ vulgari perveniri debere. Verùm hic labor, hic difficultas (verba sunt Emanuelis Schelstrate *Dissertatione prævia de Chronotaxi vite Christi, cap. 1.*) Priusquam enim ex Fastis Consulatum colligi poterat annus Christianus, aut Æræ vulgari, nosci debebat, quinam præcisè Consules in unumquemque annum incidebant, & quibus subinde Consulibus præcipua rei Ecclesiasticæ facta essent assignanda. Quæ omnia & singula adeo incerta & dubia extiterunt tempore ejusdem Cardinalis Baronii, ut in conscribendis vastissimis illis Annalium Tomis, neque quibus Consulibus Æræ inchoanda esset, nec à quo, ipsius iudicio, pleraque dependent, quibus Consulibus Christus Dominus in mundum prodierit, aut inde exierit, rectè & solidè potuerit statuere. Inchoaverat Baronius eosdem Annales à primo Christi Domini anno atque Æræ vulgari, quam collocabat Anno Augusti Im-

peratoris quadragésimo secundo, quando Consules fuere ipsemet Augustus Caesar XIII. & Marcus Plautius Sylvanus. Quo, integro biennio, prævertit calculum Dionysii Exigui. Ne tamen deinceps in decursu dissideret semper ab hoc calculo, duo paria Consulatum ex Fastis lituravit seu erasit, scilicet Fulvium Æmilianum & Pomponium Bassum Anno 359. Deinde Cornelium Sæcularem cum Junio Donato anno 360. quos tamen omnes alii agnoscunt & recensent. Eodem etiam modo Onuphrius, Mercator &c. quò citius in eandem æram Dionysianam devolvantur, omittunt Marcum Aurelium, Probum Augustum & Annicium Paulinum Consules Anno Christi 277. Ita alii alios evelunt, &, juxta regulam Lesbiam, res gestas temporibus accommodant, quæ comminiscendi libertas, si semel admilla fuerit; nemo non videt, quantum historis luculentissimis & Authorum probationibus, quantumcunque solidis periculum immineat: cùm vix tandem sua veritati ratio interea subsistere potuerit inconcussa.

Quodsi itaque Chronologia Consularis toto convellatur cardine; quomodo Eminentissimus *Annal. tom. 1. ad an. Christi 60.* censeret illam frequentiore, liberaliore & veriore? & qua ratione in *præfat. Annal.* hanc viam appellat regiã? qua se ductum sensit, quò non vellet. Viderunt certè Posterii juxta hanc deductionem acta præclarissima temporum incertitudine penitus involvi: præsertim cum Fasti Consulares imperantibus in Occidente Gothis, turbarentur; prout anno Christi 531. tam Oriens, quam Occidens sine Consulibus fuit, & quadriennio post Consules in Occidente planè desierint, imitaturis deinde Orientalibus, à quibus Æræ Consulatum fuit abolita Anno Christi 541. post Consulatum Basilii junioris Anno 5. 10. 15. 20. 24. quo anno mortuus est Justinianus, cujus quidem Successor Justinus II. notationem Consulatus re-

linquit

stituit, ita tamen, ut hic ad solum Imperatorem transierit sine Collega.

Æra Nabonassar est prorsus caliginosa & incerta, dum æquè illud in comperto habemus, quinam fuerint illi Babylonii, qui Annos Nabonassar tradiderunt, quàm id, quod prorsus ignoratur. Nomina autem & sæcula Regum Babylonicorum atque Assyriorum, iudice Genebrardo, videntur ficta & corrupta; ut proinde ex eo nihil statui possit, necdum Chronologia, ut isti faciunt, describi, nisi fortè imaginaria. Sed neque quis ille fuerit Nabonassar, cujus solum apud Ptolomæum extat memoria, inter Authores convenit. Atque sic everso de Epochâ Nabonassar fundamento, ut planè falso & ambiguo, corrui reliqua ædificii Chronologici moles, inquit Gordonus *in Chron.*

De Correctione Kalendarii à Juliano Cæsare facta, quid firmitus statui possit: sed quia in conferendo annos Æræ vulgaris cum annis periodus Julianæ quædam valde dubia supponuntur: illud, quod infertur, ambiguum manet.

Epocha Augusti est pariter incertitudini obnoxia: ac de annis, quibus rexit, æquè ac de initio Imperii disputatur. Quia aliqui à morte Julii, alii ab invaso Consulatu, alii ab invasione Triumviratûs annos numerant. Hinc est, quod aliqui hanc Æram secuti, juxta computum, qui videbatur exactior, in progressu ac supputandis annis successorum Imperatorum in angustias ineluctabiles devenerint. Baronius posuerat mortem Augusti cum initio Tiberii Æræ 16^{to} duobus annis postponens, quem Biennii errorem satis feliciter prosequi videbatur, donec in Æram Diocletiani impingens, vidit Diocletiani initium amoveri non posse ab anno 284. Quare duos ex imperii Probi annos sustulit: & quem sex annos imperasse persuadent certa antiquorum testimonia, quatuor tantum annos Fasces tenuisse prætendit. Eandem auctoritatem sibi vendicâ-

runt nonnulli, qui, ut tempora suis conciliarent sententiis, pro libitu annos Imperatoribus subtraxerunt & addiderunt.

Cespitat quoque Æra desumpta à Ludis Olympiacis; eorum siquidem primæva institutio aut restauratio quoad tempus planè incerta est. Quidam enim cum Eusebio &c. arbitrantur cœpisse sub finem Regni Oziaz seu Azaræ, alii revocant ad tertium vel quartum annum Regnantis Joathan. Alii cum Benedicto Pererio ad annum octavum Achaz. Dum ergo Olympiadum principium non est satis certum & perspectum; quomodo computatio poterit esse exacta? Deinde credibile est, ludos illos fuisse non solum sæpius intermissos, sed etiam quoad ordinem præcisum annorum revertentium disturbatos, proindeque modò citius, modò tardius celebratos; maxime dum arderet bellum atrox per Græciam. Accedit, quòd illorum duratio annorum cum aliis nec inter se certò & definitè comparari possint, ut observat Genebrardus *in præfat.* Quoniam anni integri quales ferè ab U. C. notantur, fractis (cujusmodi sunt Olympiadum) non apertè per omnia respondent & consonant. Profectò neque Herodotus, neque Thucydides, neque Xenophon secuti sunt Chronologiam per Olympiades, aut historiarum suarum annos huc contulerunt; quinimo, ne comparationem aut concurrentiam ullam instituerunt aliquarum periodorum vel aliquorum Regnorum aut alterius rei notabilis; quod tamen facere debuerant, si temporibus illis, quibus scribebant, Olympiades fuissent adeo celebres ac securæ, quales finguntur ab Authoribus posteris. Quare minimè mirum videri debet, quòd tam diversimodè opinentur Chronologi Christiani, qua Olympiade, & quo Olympiadis anno Christus ex Virgine natus fuerit.

Nec magis securè procedunt, qui Epocham Palilium, seu æram ab urbe condita adop-

adoptant. Siquidem annus ille primus, quo Roma fuit condita, valde est obscurus, ac ultra annos 600. evolutos, usque ad Catonis & Marci Terentii Varronis ætatem, parùm cognitus fuit. Justa Flori in 2. *Epist.* ab urbe condita usque ad annum 20. Imperii Augusti computantur ferè 700. anni: sed alii longè aliter annos numerant. Sunt, qui prætendunt Julium Cæsarem fuisse interfectum anno U. C. decimo supra septingentesimum; cum tamen plures id multò posteriùs factum narrent. Sed nec Urbis historia repeti certò potest ex Scriptoribus, Livio ducentis annis antiquioribus, ut Cicero & Vellejus *lib. 1.* indicant referente Genebrardo ac censente, quod hæc ratio computandi ab anno U. C. sit incertissima, nondùmque inter Doctos constituta.

Demonstrationes Astronomicæ, quantumcumque in illa scientia versati, iis tribuunt, non sunt infallibiles, & huc parum aut nihil certi conferunt. *Suspectus mihi semper calamus illorum est, qui toti sunt in caelestibus characteribus rimandis, ut inde eruant epochas prioribus sæculis ignotas.* inquit Gordonus *Rom. 2. Prefat. ad Lect. n. 4.* Idem in apparatu memoriæ inculcandam scribit, Mathematicorum tabulas sæpissimè esse correctas ab ipsismet Mathematicis. Sic Ptolomæi tabulas emendavit Alphragamus, Alphragami tabulas correxit Alphonus Castellæ Rex, Alphonsi Copernicus, Copernici Ticho Brahe &c &c.

Quæ de Mariano, Sigeberto & Urbano II. in probationem addendi biennii ad æram vulgarem referuntur, titinillitia sunt, ut apud Plautum legitur. Eorum sigularis præconceptra opinio communi traditioni præjudicare non valet. Sufficiat hîc subungere, quod Christianus Massæus Belga Chronologus celeberrimus in *prefat. lib. 8.* scribit de Mariano Scoto, quem vocat bonum & sanctum hominem; sed Chronicis concinnandis non fatis idoneum. *Nostro Mariano, in-*

quit, cura non fuit, quid Ethnici scripserint, Sanctum Evangelium profert imitandum. Sacrorum Litteris inhaerendum censet, Hieronymi, Augustini, Cassiodori. Sed nescio, quis unquam in ratione temporum ab his magis dissenferit. Ut enim plurima differam suis locis opportunus indicanda, multi apud Hieronymum & Cassiodorum leguntur bini, quos hic enumerat singulos, atque ita fit, ut ab anno Passionis Christi usque ad Manlium Theodorum suppetet annos 383, ubi sanctus Augustinus tantum 365 fuisse testatur.

Qui triennium Epilogismo Dionysiano adjiciendum contendunt; cum nullas alias rationes proferant præter jam refutatas, succumbunt cum cæteris in probatione. Quod si etiam certò constaret, Christum Dominum mortuum Coss. Geminis; non tamen inde posset certò inferri, quo anno Christus natus sit, propter discrepantiam Authorum de annis vitæ Christi.

Reliqui, qui plures annos Æræ vulgari adnumerandos evincere conantur ex annis Herodis Regis maximam subeunt difficultatem. Licet enim plurimum sit sententia, hunc Herodem regnasse annis 37, saltem inchoatis; minus tamen conveniunt Scriptores de regiminis exordio, deque ejus excessu. Josephus *Lib. 17. Antiqu. cap. 10.* Egesippus *Lib. 1. cap. 47.* illos annos computant ab ejus regno, Romæ à Triumviris libi delato. Mercator protraxit ad triennium, alii recensent ab Actiaca Victoria, & inferunt Christum Dominum natum anno regni Herodiani 28^{vo}. Alii anno 40^{vo}, ultimo vitæ suæ. Baronius quidem existimat Herodem post Christum natum adhuc vixisse annis octo; tribuitque ei annos regni 36. observant tamen alii, hanc Chronologiam fundari in Josephi testimonio corrupto *Lib. 14. cap. 18.* ubi pro anno 25, quem agebat Herodes, quando à Julio Cæsare Galilææ tutor creatus

fuit, mendosè ponitur annus 15. quod supra notatum.

Doctissimus Henschenius, cum in Fastis Consularibus aliquamdiu esset foeliciter progressus, animadverteret equidem se in conciliandis annis Augusti & Tiberii Impp. vehementer coarctari: ut suæ opinioni, de quadriennio Æræ vulgari attribuendo, quæcunque subsidium adferret, effingit novam Epocham Tiberii, quæ quadriennio præcedat Augusti mortem; ac si ab hoc in Throni collegam accitus fuisset annis 4, antequam moreretur, quatenus annum decimum quintum à S. Luca *cap. 3.* memoratum, torquere possit ad annum Christi emortualem 34, juxta vulgarem Epocham. Hanc quoque sententiam amplexi sunt Capellus Pagus. Jo. Clericus Amsterod. in Gymnasio Remonstrantium Professor &c. Nullus autem Veterum Tiberii annos ab obventa Tribunitia potestate, aut adjuncta ei Principis dignitate, annos dinumeravit. Fuerit imperium Tiberii Proconsulare prolixius quadriennio Augustali: sed nunquam ab eo Principatu, quin semper à Monarchia tempus computatum fuit: quemadmodum tempus Titi non aliter unquam, quàm à morte Vespasiani, nec alterius Imperatoris, olim à prædecessore assumpti, quàm à morte hujus principium habuit. De variis Augusti Dominationis initiis varii meminerunt, de diversis Tiberii Epochis nemo. Una eademque tam Græcis, quàm Romanis Tiberianos annos numerandi ratio, quos 23, annorum spatio circumscribunt; cum tamen omnes annos 26, (quot in corrupta Clementis Alexandrini Apodosi leguntur,) attribuire deberent Tiberio Imperatori, si Proconsularis hæc Epochæ locum habuisset. Ad hujusmodi igitur, Paradoxa confugere compelluntur, qui à tramite deviant; quæ tantâ facilitate rejiciuntur, quanta istis in Phantasiam venerunt. Esto etiam concederetur quædam alia obstrusa Tiberii Epochæ; Evan-

gelita tamen censeretur utique illâ usus, quæ celebrior, quæ notissima & historicis familiaris erat; scilicet ab initio regni Tiberii post Augusti mortem, quando Christus Dominus triginta annorum dicitur fuisse. Quidquid Pagius omnibus eruditionis suæ nervis prætendat alium computum esse ineundum, nullum tamen poterit exemplum manifestum adferre, quod aliquis Veterum simili modo annos Cæsarum nominaverit. Ipse dissensus sic computantium reddit computum omnino de falsitate suspectum; dum alii quatuor annos numerant, alii tres ante mortem Augusti, quando Tiberio Principatus fuit collatus. Ufferius biennio antea id factum vult &c. Sed licet Tiberius quædam etiam Imperii ornamenta obtinuisset vel ab Augusto, vel à Senatu, non tamen jus absolutamque potentiam, ut idem Author fatetur. Et cum Livia tam sollicitè celaverit conjugis mortem, donec Tiberius adveniret, cur tum primo Consules in verba Tiberii juraverunt? Vid: Tacitus *Lib. 1. Annal. cap. 7.* Cur perplexa & obscura ratione, ut idem Historicus perhibet, *cap. 11.* Tiberius Imperium à se rejecit. Suetonius de eo *cap. 24.* narrat, quod post Augusti fata Principatum diu recusaverit & tandem quasi coactus & querens miseram & onerosam injungi sibi servitutem recepit Imperium. Vellejus Paterculus quoque scribit de eodem *L. 2.* Una tamen veluti Luctatio civitatis fuit pugnantis cum Cæsare S. P. Q. R. ut Stationi Paterna succederet. Ex quibus omnibus sufficienter eruitur Tiberium, licet adoptatum, licet Successorem designatum, non ante Augusti mortem suscepisse Imperialem dignitatem. Id quod insuper ex Spartiano confirmari potest, quando de Marco Aurelio, Antonino Philosopho & Lucio Vero loquens hos primos esse ait, qui pariter & Rempublicam administrarent & Augusti appellati sunt. Idem quoque nummorum & lapidum inscriptiones loquuntur, qui ad XVI. Tribunitiam Tibe-

Tibe-

Tiberii potestatem, qua mortuus est Augustus, Tiberium Augusti filium, ac deinceps etiam Augustum appellant. Itaque computatio illa à Tiberii Principatu ante Augustum novitia est. Neque dici potest, quod soli Judæi ab illo tempore annos Tiberii nominarint. Si enim Tiberius in Judæam fuisset missus cum summa potestate, fortè computatio hæc aliqualem verè speciem obtineret, tanquam à solis adhibita Judæis: verum suppositio prorsus falsa esse dignoscitur. Quicumque ergo animo fingit S. Lucam in Evangelio hanc iniisse, à janua aberrat.

Atque his invicem congruenter collatis, satis superque apparet, quemadmodum plures inveniendæ, restaurandæ, emendandæque Æra vulgari hydram secare videantur, dumque tempora ad calculum reducere, & exactam omnium rationum subductionem, conciliationem & comparisonem reddere conantur, experiuntur verissimum esse illud Plinii in *pref. hist. Nat.* *Res ardua est vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem.* Hucusque nulla

quidem citatorum sententia justis examinata ponderibus, reperta fuit, quod aptè conveniat cum omnibus sacris & profanis Scripturis, Historiis aut Chronologiis, licet nonnulli, suarum cogitationum morosi propugnatores sibi & aliis hoc ipsum persuadere nisi fuerint supervacaneo utique studio. Neque enim sententiarum & optimorum argumentorum inventio, ipsa per se multo studio digna videtur, nisi etiam, ut perquam bene observat Halicarnass. *cap. 55. de judic. hist. Thucid.*, rebus & personis ac temporibus cæterisque circumstantiis conveniat. Quapropter *via per vulgata Patrum*, ut loquitur Terentius, quamvis non sine salebris reperitur, tam diu terenda & tenenda, quoad usque nulla certior, planior, magisque secuta exhiberi poterit: præsertim quia

Nemo ire quenquam prohibet publicâ viâ Plaut: *i. sc.*
I. V. 35.



B 2

CON-